



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Praxis Meditationum S.P. Ignatii Loyolae

Diertins, Joseph

Solisbaci, 1708

Med. 63. De ambulatione super aquas. Mysteriori punct. 1.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60232)

MEDITATIO LXIII.

De ambulatione super aquas. Matth. 14.

Myft. punct. I.

CONG. Huic hebdomadæ propria.

PRÆL. I. Quomodo Christus Discipulis in naviculam abire juffis, dimiffâ turbâ, ascenderit in montem orare.

PRÆL. II. Aspiciere montem mari vicinum.

PRÆL. III. Petere gratiam orationis, & conjunctionis cum Deo.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. Aspiciamus Christum in monte solum orantem. *Ascendit in montem solus orare. Matth. 14.*

INTEL. Ex hac solitudine discimus id, quod dicitur Matth. 6. *Ora Patrem tuum in abscondito.* Hoc est, in secessione, sive separatione à tumultu hominum, & rerum sæcularium: ex qua solitudine oriuntur fructus, quos S. P. Noster describit An. not. 20. REF. Nos verò interdum laboramus morbo prorsus opposito, & contrario Spiritui Orationis: hoc est, morbo *effusionis ad exteriora*, de quo agitur *Industr. Cap. 6.*

VOL. Amemus, ad orandum cum Christo, solitudinem, & statuamus proximâ occasione, sedulò perlegere illud Cap. 6. *Industr. de effusione ad exteriora*, & remedia ibi proposita adhibere.

PUN.

PUNCTUM, II. VERBA. MEM. Audire nos imaginemur orationem, & colloquium Christi cum Patre.

INTEL. Haud dubiè dicebat sæpè orans illud Ps. 39. *Ecce venio: in capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam. Deus meus voluit, &c. Annunciaui justitiam tuam in Ecclesiâ magnâ.* Et verè hoc dicebat: Nam eodem die justitiam annuntiaverat ingenti hominum multitudini. REFL. Nos, qui sumus in Societate Jesu, debemus cum Deo etiam ità loqui. Nam nostræ quoque vocationis est & annunciare justitiam Dei in Ecclesiâ magnâ.

VOL. Quando igitur colloquimur cum Deo, cum ingenti zelo dicamus. *Docebo iniquos vias tuas. Ps. 50. &: Os meum annuntiabit justitiam tuam. Ps. 70.* idque ità ut verbis facta respondeant.

PUNCTUM, III. OPERA. MEM. *Compulit Jesus Discipulos ascendere in Naviculam, & præcedere eum trans fretum.* Matth. 14.

INTEL. Notemus vocem illam: *Compulit*, quæ indicatur, quòd Discipuli ægrè à Christo discesserint. REFL. Sic nos decet ægrè discedere à colloquio cum Christo in oratione, & non nisi compulsos per obedientiam, aut per opus aliquod veræ charitatis.

VOL. Conemur, quantum possumus, tollere obstacula, quæ nos avertunt ab oratione, & colloquio cum Deo. *Non impediaris orare semper.* Eccl. 18. Nam conversatio nostra in Coelis, & cum Deo debet esse. Accutemus in hoc negligentiam nostram.

COL

COLLOQ. *De 2. vexillis*, illud nominatim postulando, ut liceat frui conversatione cum Christo, humili quidem loco degente, & constituto; sed tam specioso, & amabili, ut tormentum sit ab eo avelli.

RECOLLECTIO. REPETITIO, APPLICATIO SENSUUM.

MEDITATIO LXIV.

De ambulatione super aquas. Matth. 14.

Myft. punct. 2.

CONG. Ut sæpius dictum.

PRÆL. I. Quomodo, cum noctu Navicula agitaretur fluctibus, venerit ambulans supra mare: perterritis Discipulis putantibus phantasma esse.

PRÆL. II. Videre turbatum mare, super quo Christus ambulavit.

PRÆL. III. Petere robur, & constantiam, & fiduciam in laboribus, & desolationibus ac tribulationibus.

PUNCTUM I. PERSONÆ. MEM. *Navicula autem in medio mari jactabatur fluctibus, erat enim contrarius ventus.* Matth. 14.

INTEL. Consideremus igitur personas Discipulorum, cum navicula jactatas in medio mari, lassatas laborando contra ventum contrarium. Sic Christus suos per adversa permitit tentari. REFL. Meminerimus quod in Contemplatione Regni Christi vitam ejusmodi laboriosam edocti sumus: *laboret mecum necesse est*, dicit ibi Christus.

VOL.